



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De redemptione septem annorum. xxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

iuniis, vigiliis, & crebris orationibus. Caro enim læta trahit ad culpam: afflicta autem reducit ad veniam.

De illis qui ieiunare non possunt, & non habent unde redimere possint. Cap. XXIII.

Qui ieiunare non potest & non habet unde redimat *Ex pœnitentiâ* & Psalmos nouit, pro vno die quem in pane & aqua *Bedæ presbyteri.* ieiunare debet tribus vicibus: Beati immaculari, vsque, Ad dominum cum tribularer decantet. Et sexies: Miserere mei Deus. Et septuagies prosternat se in terram, & per singulas genuflexiones, Pater noster decantet. Qui autem Psalmos nescit, pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, centies prosternat se in terram, & per singulas genuflexiones, Pater noster dicat.

De redemptione septem annorum. Cap. XXV.

Item alio modo, XII. triduanæ singulæ cum psalteriis *Ex pœnitentiâ Romano.* III. impletis, & cum palmatis, CCC. per singula psalteria excusant vnus anni pœnitentiam. Et vigintiquatuor biduanæ similiter, cum tres psalteriis impletis, & CCC. palmatis p singula psalteria, excusant duos annos, l XXV. psalmi cum totidem veniis per noctem, & cum palmatis, CCC. excusant biduanam. Centum psalmi cum veniis per noctem, & cum palmatis, CCC. excusant triduanam, CXX. missæ speciales, singulæ cum, III. psalteriis, & CCC. psalmatis excusant annum, centum solidi dati in eleemosynam annum excusant.

Ne in capite quadragesimæ omnes publicæ pœnitentes in ciuitatem veniant, & ante fores Ecclesiæ nudis pedibus, & cilicio induti, episcopo suo se representent. Cap. XXVI.

In capite quadragesimæ omnes pœnitentes qui publicam *Ex cõcil. Agathen. cap. 9.* suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se representent episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent decani, id est, archipresbyteri parochiarum, id est, presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ, pœnitentiâ per præfixos gradus iniugant. Post hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni clero septem pœnitentiæ Psalmos in terram prostratus